



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 18. Legatorum responsum ad Franciæ Oratorum postulata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

„sunt, quæ prolixius in nostris sermo-
„nibus exposuimus, circa quæ & vos
„vestram pronuntietis sententiam, eo
„potissimum nomine, quod Pontifex
„vobis suam desuper potestatem, atque
„auctoritatem commiserit.,,

§. XVIII.

*Legatorum responsum ad Franciæ
Oratorum postulata.*

Has petitiones Franciæ Oratores scri-
pto consignatas Legatis relinque-
bant, quibus ipsi sic responderunt: „nos
„Episcoporum absentium excusationem,
„quantum in nobis est, approbamus, sed
„eorum, quæ in Concilio peragenda
„sunt, discussionem ad illorum usque
„adventum differre non possumus: id
„enim Patrum, qui jam pridem Tri-
„dentum adventarunt, nimio incom-
„modo foret, neque declarare, quod
„hæc Synodi indictio sit nova, a nobis de-
„pendet, sed tantummodo juxta diploma-
„tis Pontificii tenorem, & Patrum vo-
„luntatem ibi præsidere licet.

Hispani hanc Legatorum declaratio-
nem palam fugillabant, perinde ac si
nonnisi simulata esset, & Legati verbis
sefe Concilio submitterent, opere au-
tem eidem dominarentur: Galli autem
Oratores tum Legatorum responso con-
tenti videbantur, ac deliberatione ha-
bita

bita cum Cæsareis, quibuscum con-
 junctim agere jubebantur, haud ulterius
 procedendum existimabant, dummodo
 in Synodi actis nulla de continuatione
 mentio fieret: prospiciebant enim, quod
 concilii dissolutio inde secutura sit, si
 Hispanorum voluntati, qui etiam in
 prima sessione continuationis declara-
 tionem vehementer sollicitarunt, nimis
 pertinaciter resisteretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XIX.

Quæstio de residentia rursus agitata.

Appropinquante Sessionis ad quartam
 Junii diem indictæ tempore, ac Le-
 gatis nullum articulum ibi decidendum
 proponentibus, denuo quæstio de Re-
 sidentia movebatur, atque illi, qui
 hanc legem juris esse divini contende-
 bant, Principum Oratores sollicitabant,
 quatenus rem decidi postularent, caus-
 fantes, indecorum fore, si quæstio to-
 ties agitata, indecisa tamen relinque-
 retur, eoquod inde suspicandi ansa sup-
 peditaretur, perinde ac si ex privato
 quodam commodo ageretur, cum Præ-
 fulum potior æque, ac nobilior pars
 hanc definitionem exoptaret. Hæc pro-
 positio Legatos haud parum turbabat,
 qui tamen duntaxat allegabant, quod
 hæc quæstio haud levis esset mo-
 menti, nec satis adhuc discussa, atque

Sarpæus
 l. 6. p. 403.